



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulvm XXIV. A nobis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

ad legitime præscribendum requisita, quas habere aliquem posse, qui hanc à decimis solvendis immunitatem præterdit, facile cogitanti patebit. Neque enim decimæ tributa rectè dicuntur, à quibus immunitatem præscribere non concedunt jura civilia L. *comperimus Cod. de præscript. 30. annorum*: negant enim SS. Canones, propriè tributa esse decimas, cap. *cum non sit, 33. h. t. & Glossa in cap. tua nobis 26. V. tributa h. t.* Et quamvis juris divini sit recognitio divini dominij, ac de jure naturæ debeat illis necessaria sustentatio, qui spiritualia nobis subministrant, uti ex relato Cap. *pater*, & ex pluribus decretorum textibus *causa. 16. q. 1.* nego tamen, aliter recognitionem divini dominij, aut necessariam ministrorum sustentationem haberi non posse, quàm per præstationem decimarum.

## CAPITVLVM XXIV.

A nobis.

## PARAPHRASIS.

Nobilis quidam possessiones suas, & fundos ad firmam, sive in emphiteusin locabat alijs, qui cum ex fundis his sibi elocatis, decimas dare nollent, ex Pontifice quærebatur, utrum ad solutionem decimarum ex agris suis sic elocatis, conductor hic esset cogendus: cui quæsito respondit Pontifex, obligari hunc talem ad decimas horum agrorum, nisi immunem se probaverit.

## SUMMARIUM.

*Quandonam coloni teneantur ad decimas?*  
 Notandum. Quòd onus sentire debeat, qui commodum sentit, juxta regulam juris §. in 6. Cum ergo conductor talis fundi decimabilis omne habeat commodum, mirum non est, quòd onus decimarum sentire etiam debeat. Aliter tamen discurrendum esset in eo casu, quo pro mercede competente excolendi agri, & pro laboris in operam impensam stipendio, mercenario famulo, velut partiali colono, ut

advertit *Glossa in Clement. 1. V. excolendas hoc tit.* traduntur: quibus in casibus, sicuti agri tales (saltem pro parte,) penes privilegiatos manent, ita ut his agri tales (saltem pro sua parte) fructificent; sic pro sua parte à decimis dandis immunes hi erunt, nisi verba privilegij aliter ponderari debeant, ut advertit relatu *Glossa.*

## CAPITULUM XXV.

Tua.

## PARAPHRASIS.

Si Imperator concedit alicui possessiones aliquas liberas, ac immunes ab omni onere, utrum hi ab onere decimarum dandarum ex his possessionibus sint immunes, ex Pontifice quærebatur; qui respondit in hoc Cap. immunes, ac liberas à præstandis Ecclesiæ decimis, sub qualunque generalitate possessiones tales concessæ fuerint, non esse, non tantum quòd nulla sit Laicis potestas de rebus Ecclesiasticis disponendi, sed quòd potestas secularis, quamvis imperatoria, non possit liberare ab illis, quæ divina constitutione debentur.

## SUMMARIUM.

1. *Imperator non potest liberare ab onere solvendarum decimarum, etiamsi fundum concedat ab omni onere liberum*
2. *Quo sensu dici possit juris divini obligatio, obligatio decimarum?*

Notandum. Quòd dicatur in ratione pro responsione in cap. hoc relata, liberare non posse Imperatorem ab illis, quæ divina constitutione debentur. Ex quibus verbis inferunt aliqui, quòd decimæ jure divino debeantur, & consequenter nulla contra illas consuetudo aut præscriptio &c. prævalere possit, cum consuetudo, quæ juri divino contraria est, sit irrationabilis, nihil utilis ad derogandum juri divino, aut ad præscribendum contra jus divinum. Rectius tamen alij dicunt, prout *supra cap.*